

vigilandi & per consequens lethargus incepit?
 An à pituitosis humoribus in cerebri regione
 putrescentibus per contusionem ibidem forte
 collectis, quod sanguis primis diebus ex auro
 sinistra profluens testabatur? Hinc igitur cere-
 bri imbecillitas, vnde pituitosæ exhalationes,
 principium neruorum continuò affecerunt, ita
 ut facultates ad sensum ineptæ redditæ fuerint.

Sextò quæritur, *Quomodo dictu aeger à tot
 grauibus complicatis affectibus, febri scilicet,
 item sopore p. n. lipothymiis frequentibus, sum-
 maque totius corporis imbecillitate tam citò vi-
 res recuperare potuerit?* An quia hæc sympto-
 mata omnia, non ex causis morbificis longa
 serie propter partium imbecillitatem & con-
 coctionum depravationem, quod frequenter
 accidit, generabantur, sed subito propter la-
 psum insperatò accidentem? Ergo cum vires
 & respectu iuuenilis ætatis fortiores, nec præ-
 cedētibus morbos dispositionibus absumptæ
 esent, fieri potuit, vt citò sanitas pristina re-
 colligeretur.

Septimò quæritur, *Cur in articulorum con-
 fusionibus & luxationibus potius cataplasma
 quam inunctiones approbauerimus, præsertim in
 principio?* An quia inunctiones faciunt ad po-
 rorum obturationem, nec eam exiccandi po-
 tentiam habent, quam alia medicamina, que
 siccando & discutiendo, id quod influxum est
 absumunt, quod verò affluit impediunt &c. Hæc
 sunt quæ raptim tuæ Dign. de præsenti casu
 referre volui: boni consule, & me, quod facis
 ama. Dabam Lipsiæ ταχιστον Calēd. Maij 1608.
 OBSER-